














JOANNIS LUZAC

ORATIO

DE

ERUDITIONE, ALTRICE VIRTUTIS CIVILIS PRÆSERTIM IN CIVITATE LIBERA.

PUBLICE HABITA

A. D. XXIV. *Septembris* MDCCLXXXV.

QUUM

ORDINARIAM LINGUAE GRAECAE ET HISTORIAE PATRIAE PROFESSIONEM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA SOLEMNITER AUSPICARETUR.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD HENRICUM MOSTERT, 1785.

133

VIRIS

PERILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

CURATORIBUS,

WIGBOLDO JANO THEODORO BARONI VAN DER DOES,

DYNASTAE UTRIUSQUE NORDVICI, LANGEVELD ET OFFEN, EQUESTRIS HOLLANDIAE ORDINIS MEMBRO, EJUSDEMQUE NOMINE IN CONSESSU DELEGATORUM HOLLANDIAE ORDINUM PRINCIPEM LOCUM TENENTI, REI VENATICAE IN HOLLANDIA PRAEFECTO, AGGERIBUS ET VIIS RHENOLANDIAE CURANDIS SEPTEMVIRO, CASTELLANO, SATRAPAE, CHOMARCHO URBIS ET AGRI HEUSDANI, ETC. ETC. ETC.

PETRO VAN BLEISWYK, J. C.

A. L. M. PHILOS. D. PERILLUSTRIUM ET PRAEPOTENTIUM HOLLANDIAE ET WESTFRISIAE ORDINUM CONSILIARIO ET SYNDICO SUPREMO, MAGNI PROVINCIAE SIGILLI CUSTODI, SUPREMAE CURIAE FEUDALIS PRAESIDI, EJUSQUE TABULARII PRAEFECTO, ETC. ETC. ETC.

GULIELMO HUYGENS, J. C.

DOMINO IN HONCOOP, CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS SENATORI ET CONSULARI VIRO, SOCIETATIS INDIARUM ORIENTALIUM MODERATORI, ETC. ETC. ETC.

EO-

EORUMQUE COLLEGIS,

AMPLISSIMIS NOBILISSIMISQUE

VIRIS,

CIVITATIS LEIDENSIS CONSULIBUS,

CORNELIO CHASTELEIN, J. C.

ACADEMIAE QUAESTORI.

JACOBO VAN DER MEER,

TOPARCHAE IN HOOGEVEEN.

PETRO CHANGUION, J. C.

HENRICO BALTHASARI VAN HALTEREN, J. C.

NEC NON

GRAVISSIMO CONSULTISSIMOQUE

VIRO,

JOSUAE JOANNI HUBRECHT, J. C.

ILLUSTRI CURATORUM CONSULUMQUE COLLEGIO AB ACTIS,

HANC ORATIONEM
VENERABUNDUS
D. D. D.

JOANNES LUZAC.

JOANNIS LUZAC

O R A T I O

DE ERUDITIONE, ALTRICE VIRTUTIS CIVILIS, PRAESERTIM IN CIVITATE LIBERA.

MAGNIFICE RECTOR.

PERILLUSTRES AC GENEROSISSIMI ACADEMIAE CURATORES.

AMPLISSIMI, NOBILISSIMI, CIVITATIS LEIDENSIS PRAETOR, CONSULES, JUDICES, QUIQUE IIS VEL A CONSILIIS VEL AB ACTIS ESTIS, VIRI GRAVISSIMI.

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES CLARISSIMI.

QUI TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS ES, VIR SPECTATISSIME.

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES FIDELISSIMI, PLURIMUM VENERANDI.

LECTORES ERUDITISSIMI.

DISCIPLINARUM ET ARTIUM DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI, SAGACISSIMI.

CIVES, HOSPITES, NATALIUM SPLENDORE, MUNERIBUS, AUT SUA QUISQUE VIRTUTE CONSPICUI, CUJUSCUNQUE ORDINIS AUDITORES EXOPTATISSIMI.

TU DENIQUE LECTISSIMA JUVENTUS, MUSARUM ALUMNI, PATRIAE SPES, ACADEMIAE ORNAMENTUM, NOSTRA MOX VOLUPTAS ET CURA

Dicenti mihi pro concione virorum cum natalibus & dignitate, tum ingenio & eruditione illustrium, dubium esse non potest, quin plerique vestrûm, AUDITORES HONORATISSIMI, saepius attentâ mente perpenderint mirabilem illam & pene dixerim incredibilem, quae hinc inter Imperia Resque publicas, illinc inter Artes Disciplinasque, intercedit, fatorum similitudinem: Neque quisquam vestrûm est, qui aut ipse non observaverit aut observanti non facile adsenserit, a primis, quorum Historia nobis memoriam tradidit, rerum incunabulis ad hoc usque, quo vivimus, sae-

ſheculum, Regnorum Populorumque ſortem cum Artibus & Diſciplinis tam arcto vinculo fuiſſe conjunctam, ut ſimul floruerint & defloruerint, creverint & decreverint.

Ne ad antiqua nimis & ab Aſſyriis, Aegyptiis, Perſisve petita exempla oratione provehar, ſpectate, quaeſo, doctrinarum illam & elegantiae inventricem Graeciam; ſpectate inprimis Graeciae ocellum, Athenas. Poſtquam felicis ingenii populus Solonis & ſequentium ſeu Philoſcphorum ſeu Virorum principum ſcriptis, ſermonibus, vel exemplis ad omnia ſapientiae ſtudia ita fuerat formatus & inſtructus, ut *ab illo ſolo* (quod CICERO ait) *humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae, atque in omnes terras diſtributae putarentur*, ſenſim ad tantum potentiae faſtigium eadem illa Civitas eſcendit, ut Barbarorum terror, AEmulorum victrix, Sociorum patrona, totius Graeciae columen & eſſet & ab univerſis coleretur. Sed, quando, qui Periclis olim admirati fuerant & lepores & vehementiam, qui Demoſthenicae eloquentiae ſtupuerant fulmina, Demetrium Phalereum jam audiebant, aut pejorem etiam quempiam e ſcholâ declamitantem Rhetorem; quando, qui Socratis quondam, qui Platonis, qui Xenophon-

tis, qui Theophrasti, mellita auribus & animo inbiberant morum & vitae praecepta, jejunam nunc vel subtilem nimis novae Academiae sequebantur Philosophiam; tum demum cum verae pulchritudinis sensu verus etiam evanuit patriae amor; & qui nec Themistoclis gloriam, nec Aristidis justitiam ferre potuerant Athenienses, unius Declamatoris, a Macedonum Tyranno sibi praefecti, imperio patienter fuerunt obsecuti.

Spectate, ut Graecis Romanos adjiciam, spectate urbem terrarum dominam. Quamdiu mascula viguit animorum virtus, quamdiu, quae mores corruperant, intemperantia & prava novandi cupido ingenia nondum tamen infecerant, habuerunt Rostra suos Crassos, Hortensios, Tullios; habuit Historia Sallustium, Caesarem, Livium, & (ut paucis absolvam) summos in omni humanitatis genere Viros. Sed, postquam jam ad unum delapsa erat Respublica, cum Libertate simul extincta fuit nativa ista, quam in illorum scriptis sentire magis quam imitando exprimere possumus, simplicitas & virilis vigor: Atque pro sincerà eloquentià, a qua jam degeneraverant Lucanus, Seneca, Tacitus, uterque Plinius, caeteri, putida argutiarum &

nugarum consectatio quodvis scriptorum genus dedecoravit.

Non dicam de illo, quod renascentes literas vidit, ævo, quando cum ipsâ scientiarum instauratione renovata fuerunt pura veri Numinis Sacra, populorum commercia, Europae totius splendor, Patriae nostrae praesertim, turpi servitio pressae, libertas: Exemplorum plena sunt omnium saeculorum monumenta; nec hujus etiam nostrae aetatis me illorum deficeret copia, si re & factis plenius demonstrare vellem, arctam adeo inter populorum literarumque fata intercedere necessitudinem, ut ab unâ eâdemque causâ pendere videantur.

Haec cum ita sint, AUDITORES HUMANISSIMI, vere ante hos duo & viginti annos pro concione docuit HEYNIUS, Vir Clarissimus, *ex Libertate publicâ bonas Artes Literasque vera capere incrementa*: Sed, ut sapienti Dei consilio idem, qui Libertati fovendae inservit, ardor generosos etiam animos scientiarum elegantiaeque amore inflammat, ita non minus verum est *ex ipsis Literis bonisque Artibus incrementa capere Libertatem publicam &, quae sin-*

cerae Libertatis comes est, Virtutem Civilem: Quod argumentum quoniam a nemine, quod equidem noverim, pro dignitate fuit expositum, dicam hac horâ, non de toto quidem, qua late patet, scientiarum orbe, sed (meis me cancellis circumscribens) *de Eruditione, altrice Virtutis Civilis, praesertim in Civitate liberâ.*

Ex mediis quippe negotiorum fluctibus forique certamine in hanc mitiorem palaestram inprovisο delatus, quae olim mihi ad vitam civilem bene instituendam profuerat rerum cognitio, illam ego nunc aliis ita tradere mecum statui, ut vitae civilis experientia perpetuo mihi in docendo facem praebeat, & quae sterilis inutilisque foret doctrina, nisi ad communem usum referatur, illam veris factorum documentis juventuti reddam fructuosiorem. — Vos, AUDITORES, mihi, qui hoc saltem ex loco publice dicendi sum insolens, auribus animisque favete.

At, ut ordine progrediar, nonnulla praemittenda sunt, & quae Eruditio, quae Virtus Civilis mihi videatur, paucis differendum. Hi nempe aetatis nostrae sunt mores, ut Eruditio, quae humanitas ipsa est, ab humanitate atque

adeo

adeo ab hominum usu aliena maxime habeatur. Fallunt vel falluntur egregie, qui pravam istam opinionem aut aliis aut sibi persuadere conantur. Non est illa Eruditio, quam plerique vanâ imagine effingunt, nuda vocum & syllabarum notitia, aut immensa locutionum, sententiarum, figurarum, historiarum etiam & rerum gestarum, tenaci memoriae infixarum, rudis atque indigesta congeries. — Is demum eruditus mihi videtur, qui animum quacunque scientiâ, bonarum praesertim literarum cognitione, ita inbuit, ut verae virtutis inde sibi praecepta non solum ad contemplationem conficiat, sed ipse omni vitâ fideliter sequatur.

Talem vobis, AUDITORES HONORATISSIMI, ob oculos ponite virum doctum: (Et quid negemus tales vixisse complures, tales etiamnum superesse?) Fingite, inquam, virum ita eruditum, ut doctrinam suam maxime referat ad normam bene vivendi. Non is aut Thucydidem leget aut Sallustium, ut brevem acutumque, quo uterque fuerunt insignes, scribendi unice miretur modum; verum ut simul eâdemque operâ perpendat, quae Bello Peloponnesiaco Athenas, quae Catilinariâ Conjuratione Romam at-

te-

terebant & in proximam ruinam jam pronas agebant publica gentis & privata vitia. Non hoc ille tantum animo vel Demosthenem evolvet vel Ciceronem, ut qua arte alteruter populum aut judices sibi conciliaverit, quo verborum delectu, qua locutionum vel vehementiâ vel elegantiâ usus fuerit, curiose ediscat; sed hunc praecipue in finem, ut quibus illi nervis improbos suorum temporum cives adorti fuerint & victrici eloquentiâ prostraverint, attente consideret, ac tantâ vi veritatis commotus ab eorum (ut ita dicam) contubernio melior ipse recedat.

Haec quum, me judice, germana sit Eruditio, quae sit *Virtus Civilis* breviter videamus. — Definitionem vobis dabo, AUDITORES, si minus logice perfectam, at certe talem, ut bonus civis, qui animi sensa simpliciter sequatur, non steriles Philosophantium regulas, assensum illi minime sit denegaturus.

Est igitur *Virtus Civilis* ea animi praestantia, qua quis, omnia boni civis officia complens, patriam ita amet, ut (quod CICERO (1) dixit) *omnes omnium caritates illa una*

(1) *De Off.* Lib. I. Cap. 17.

una complectatur: Quae Virtutis Civilis explicatio magis confirmabitur, si singulas, quae illam perficiant, partes ordine enarremus.

Sunt autem illae duplicis generis, vel ad animi bonitatem vel ad praestantiam ingenii referendae.

Ad animi bonitatem referendae sunt pectus candidum, ingenuum, honesti & decori praesertim amans; item temperantia, moderatio, proprii commodi, divitiarum etiam & honorum male quaesitorum, contemtus.

Ad praestantiam ingenii pertinet vis illa animo insita, quae vera a falsis primo fere obtutu dignoscit & secernit: Cumque *vim illam insitam* (HORATIO teste) *doctrina promoveat, rectique cultus pectora roborent*, nativo isti acumini (quod coeleste donum est) diligentia in comparandà rerum cognitione & exercendis ingenii viribus est adjungenda.

Intelligitis facile, AUDITORES, quantum ad hanc ingenii culturam atque adeo ad perficiendam Virtutem Ci-

vilem profit earum, quae ab humanitate nomen habent, literarum difciplina. Verum, quandoquidem haec non una illarum eft efficacia, neque minus ad ipfam animi bonitatem augendam faciat & excitandam, paullisper hujus argumenti tractationem differamus, donec fingulas, quae Virtutem Civilem conficiunt, percenfuerimus partes.

Bonus, inquam, civis & patriae amans nullus vere erit, nifi idem is in vitâ privatâ fit vir candidus, ingenuus, veritatis cultor, fraudis inimicus, jufti & aequi cuftos, honefti & decori ftudiofus.

Fuerunt omni aevo, credite mihi, Cives! fuerunt omni aevo, qui fe Libertatis publicae vindices, Tyrannidis ofores jactarent acerrimos; fed quibus haec votorum erat fumma, omni arte (malâ an bonâ parum intererat) multitudini placere & putidiffimâ affentatione fibi ad potentiam & honores viam aperire.

Date mihi, quaefo, talem quempiam, difertum hominem, Reipublicae callentem, popularem, at eundem audacem, inquietum, ambitiofum, novarum rerum cupi-

dum:

dum: Apud plebem, aequalitatis avidam, gratiosus is erit: In concionibus dominabitur: Sed an civis, Virtute Civili spectabilis? Neutiquam! Demades erit aliquis aut Catilina, non Cato aut Aristides.

Nulla, inquam, AUDITORES, – nulla est sine animi integritate Virtus Civilis. Qui naturâ ad bonitatem non erit factus, turbulentis Reipublicae temporibus adversarum partium hostis erit injustus & crudelis: Nec Civitatis quieti parcet, nec Civium sanguini, dummodo rerum cum suâ factione potiatur. Cujus itidem ingenuo pectori candor non erit innatus, qui intemperans, qui lucri appetens, qui potentiae avidus, iste an dissimulatione, an civilibus odiis, an turpi prensatione & ambitu, res suas agat, nihil curabit; modo illas agat feliciter, & vel Civitatis evadat princeps, vel inter principes saltem numeretur.

At vero quid sine ingenii viribus sola proficiat animi integritas, quando (quod jam dixit (2) SALLUSTIUS) *parum tuta per se ipsa est probitas*? Egregia haec pectoris dos

(2) *De Bello Jug.* Cap. 14.

dos ſine acumine aliquo & culturâ ingenii periculoſa magis erit quam profutura. Sic enim vafris callidiorum artibus ludetur continuo; &, dum aſtuto cuique diſcordiarum auctori, tanquam inſtrumentum, incautus ſerviet, ipſe incertae rei periculum adibit, alius fructum feret.

Sin, ut judicio infirmus, ita animi quoque bonitate minus praecellat, quodvis ab illo in Civitate exſpectes malum: Prava a rectis, juſta ab iniquis, utilia a noxiis ſecernere nec curans, nec ſciens, cuncta miſcebit; Civitatis ordinem, leges, judicia contemnet; neque ulla illi libertas erit, niſi quae in licentiam ſit converſa.

Hinc, Cives mei! hinc illa Populorum, hinc illa liberarum praeſertim Civitatium tabes, Diſcordia: Hinc illud, quod apud LIVIUM (3) animoſus ait Quintius Capitolinus Conſul, — *hinc illud Urbis Romae venenum, Patrum ac Plebis certamina, quando, qui in concordiâ Ordinum nullos ſe usquam eſſe vident, malae rei ſe quam nullius, turbarum ac ſeditionum duces, eſſe volunt.*

Com-

(3) Lib. III. Cap. 68.

Componite jam mihi cum isto tali Canulejo quodam aut Spurio Maelio virum verà Civili Virtute conspicuum. Naturà duce justitiam in omni vità secutus, nec Patres oderit, quia Patres sunt, nec Plebem, quia Plebs est: Sed superborum aeque & turbulentorum, in quocunque demum Ordine censeantur, adversarius erit constantissimus & acerrimus: Cumque, quantum sincera a fictis, externa saepe species ab intimis animi sensibus differat, nativum ejus judicium, variâ rerum hominumque cognitione exercitatum, facile dignoscat, *assentatoris publici* personam aspernabitur, atque illius, quam Plebicolae appetunt, gloriolae negligens, rem Civitatis curabit, non ut sibi honori sit vel quaestui, sed ut is, cujus mens nihil praeter publicum commodum videt, quique nihil praeterea speret, nisi hanc generosae indoli gratissimam remunerationem & praesentissimum solatium, vitae utiliter & laudabiliter actae conscientiam.

Quae in hoc meo argumento mihi dicatur Eruditio, quae Virtus Civilis, habetis, AUDITORES HONORATISSIMI. Ad alteram sermonis partem progrediamur; &, quantum Eruditio conferat ad alendam illam Virtutem Civilem, praecipue ubi libera est Reipublicae forma, paucis demon-

ſtremus. Vos me perorantem, ut feciſtis adhuc, favore veſtro proſequimini.

Verſatur illa, quàm modo dicebam, Eruditio praeſertim in ſcientiâ bonarum literarum & aſſiduâ lectione Scriptorum tum recentiorum, tum veterum, maxime Graecorum & Latinorum, — Graecorum, inquam, Scriptorum & Latinorum: Nam, quod de ſolo Cicerone Quinctilianus, id ego de totâ Antiquitate palam profiteri audeo; illum ad omnem laudem jam valde profeciſſe, cui Veterum libri placebunt. Niſi alia id evincerent argumenta, vel unum ſatis eſſet hoc, quod, ſuperato communi rerum humanarum fato, ad hunc usque diem evaſerint ſuperſtites, & ſcripturis in omne aevum ita futuri ſint exemplo & normae, ut qui ad vividam ſimul & elegantem illorum ſimplicitatem proximus acceſſerit, is optimus Auctor & ſit & habeatur.

Vulgatum eſt, AUDITORES, quatuor potiſſimum in hac re noſtrâ cenſeri Scriptorum claſſes, Poëtarum, Oratorum, Philoſophorum, & Hiſtoricorum. De ſingulis ut diſputem, non exſpectatis. — Si hanc pro dignitate materiam tracta-

tractare vellem, & in amplissimum atque amoenissimum campum libero animo exspatiari, non clepsydram sed diem dicendo consumerem.

Et quidem *de prudenti veterum Poëtarum lectione, optimâ Virtutis altrice*, alii ante nos tam copiose disseruerunt, ut hac disputatione facile supersederi possit, quandoquidem nulla perfecta est Virtus, nisi quae ad publicum bonum referatur; atque idcirco illa animi praestantia, ad quam excellentium Poëtarum usus calentia juvenum format & incitat ingenia, Virtutem Civilem complectatur.

Unum, si vultis, sumite Homerum, qui, ut cujuscunque pulchritudinis fons perennis est dicendus, ita maxime prudentiâ civili mirabilis reperitur. — Ecquis omnium vegetioribus & ad veritatem melius compositis coloribus demonstravit hoc, quod LIVIUS (4) jam diu observabat, quodque nos hodie etiam, Patriae dolentes vicem, moesti comprobamus: *Factionem respectumque rerum privatarum semper officere publicis consiliis?*

Hinc

(4) Lib. II. Cap. 30.

Hinc Trojam ante oculos proponite, unius adulterae gratia deletam, illinc Graeciae florem, ob unius virginis raptum, difcordiâ tabidum & pefte abfumtum. Qui iftam infani amoris aut pudendae potius lafciviae vim apud principes faepe viros cruentiffimorum bellorum effe facem a fummo Poëta acceperit, quis miretur proximo, quod anteceffit faeculo, unius pellicis, folam hanc ob caufam ad Anglos adductae, illecebris captum Regem Carolum Belgio noftro, quod illum beneficiis, fuo etiam periculo, demeruerat, funeftiffimam cladem intuliffe?

Si vero ipfa aeterni operis materies pulcherrimum nobis praebet imbecillitatis humanae fpectaculum, nec defunt Poëtae Philofopho crebra orationis lumina & acutae fententiae, tantâ cum arte vibratae, ut memoriae penitus haereant infixae. Unicam excitare fas fit: *Optima aufpicia, optimam Religionem effe, Patriae laboranti opitulari:* Quo dicto quid Virtus Civilis praeftantius efferre posfit, equidem ignoro.

Jam, ut ad Oratores tranfeamus, quum *eloquentia*, ut TULLIUS ait, *nihil aliud fit, quam copiofe loquens fapientia,*

tia, & (definiente post Aeschinem Catonemque QUINCTILIANO) Orator sit *vir bonus*, *dicendi peritus*, quid ad excitandam generosam juvenum indolem magis aptum est quam adsidue perfectissima illa evolvere exemplaria, quibus edax pepercit tempus? Nam, tametsi is eloquentiae abusus fieri possit, ut Oratorem redimitum coronâ & delibutum unguentis, tanquam corruptorem publicum, ex suâ civitate jure dimiserit Romanorum eloquentissimus in suis *de Republicâ* libris, hoc tamen, qui Demosthenem, qui Isocratem, qui Ciceronem ipsum legerit, facile mihi dabit, nullam capitalium horum ingeniorum Orationem ad nos pervenisse, in quâ non inveniantur vivacia virtutis semina, quae ingenuo pectori mentique bonae, tanquam fertili humo, in juventute concredita, provectiori aetate ubertimos fructus sint prolatura.

Atque, ut dictis exemplum itidem non desit, quis demum a Philippicarum, sive Demosthenicarum sive Tullianarum, lectione unquam recedet, nisi ardentissimo Libertatis amore flagrans & infensissimo in Tyrannos aut malos cives odio incensus? Qui haec intermoritura nunquam scripta attente pertractaverit, neque ad Virtutem sit com-

motus, is, me hercle, plumbeus ſit & ſtipes oportet; non homini ſed pecori ſimilis, omni veritatis & pulchritudinis ſenſu penitus carenti.

An de antiquis Philoſophis hic dicam, dubito, AUDITORES. Quis enim omnis humanitatis adeo eſt expers aut potius hoſtis, ut Platonem inter Graecos ignoret, vel Ariſtotelem, vel Xenophontem, vel Theophraſtum, aut recentiori etiam aevo Epictetum, Plutarchum, Arrianum, Marcum Antoninum, Maximum Tyrium, Julianum? Quis inter Latinos, ne Senecae meminerim, cujus ſcripta, non mores ſunt ſpectandi, — quis inter Latinos immortalem Virum, quem primum rurſus laudare debueram, M. noſtrum Ciceronem?

Abſit dicto invidia, AUDITORES: — Sed inſunt in parvo illo *de Officiis* libello plura, quae ad amorem juſti, aequi, & decori, ad Virtutem inprimis Civilem, pectus inflamment, quod generoſo incoctum ſit honeſto, — plura, inquam, in parvo hoc libello & pulchriora inſunt praecepta, quam in ſpiſſis, qui jam quotidie foras protruduntur, Philoſophorum (tales enim haberi ſe volunt) commentariis.

Et,

Et, ut ad Platonem redeam, qui verae Philosophiae princeps erit, dum literis suus constabit honos, quid excelsius aut dici aut cogitari potest, quam hoc, quo decimum *de Republicâ* Librum concludit: *Ita colendam esse justitiam, ut & nobismet ipsis amici simus & Deo immortali placeamus*? Vel, si mavultis aliud quodpiam dictum, quod ad Virtutem Civilem magis faciat, quid prudentius quam duo haec Platonis (referente (5) CICERONE,) praecepta: *Unum, ut utilitatem civium sic tueantur, qui Reipublicae praefuturi sunt, ut quaecunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus Reip. curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant: Ut enim* (finite, AUDITORES, me Tullii verba addere, quae a praesenti rerum nostrarum statu aliena vobis non videbuntur:) — *Ut enim tutela, sic procuratio Reipublicae, ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est: Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam: Ex quo evenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cujusque vi-*

(5) *De Off.* Lib. I. Cap. 25.

videantur, pauci universorum. Hinc apud Athenienses magnae discordiae: In nostrâ Rep. non solum seditiones, sed pestifera etiam bella civilia; quae gravis & fortis civis, & in Rep. dignus principatu, fugiet atque oderit, tradetque se totum Reipublicae; neque opes aut potentiam consectabitur, totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat.

Verum, si tot tantaeque in lectione Poetarum, Oratorum, & Philosophorum, insunt dotes ad Virtutem Civitem comparandam, quid de Historicis erit dicendum, quando, quod vere olim SOPHOCLES in Oedipo (6) Tyranno, *vir prudens nova, quae jam fient, ex veteribus, quae jam facta sunt, conjecturâ consequitur*, & quadam (ut ita dicam) divinatione praesagit? Ac, quoniam de bono cive formando haec nostra est oratio, quis vestrûm, AUDITORES, negabit, tantum ad hoc valere omnis aevi documenta, quae Historia, vitae magistra, in illustri ponit loco, ut, qui illam ignoret, humanitatem ipsam ignorare videatur? Quae si vera sunt, ut verissima esse omnes conceditis, unum hoc addere eodem jure mihi liceat, ad istam hominum & humani ingenii co-

(6) V. 926.

cognitionem, quae legendâ Historiâ comparatur, nullos magis facere quam Historicos veteres, eos saltem, quos ipsa laudavit Antiquitas. Ne de Graecis, Thucydide praesertim & Polybio dicam, quis Recentiorum egregiis sermonibus, vel utilibus, & ad Rempublicam gerendam accommodatis, nec tamen e longinquo quaesitis, sententiis magis est conspicuus quam Livius, admirabilis adeo, me quidem judice, Scriptor, ut graviorem nullam, quam deperditarum Livianarum Decadum, bonae literae fecerint jacturam?

Sed quid ego in his moror, quando otium mihi hac etiam parte fecerunt, cum alii, tum summus ipse HEMSTERHUSIUS, quum ante hos quadraginta & quinque annos idem hoc, quod ego nunc tanto viro minor suscipio, in hac ipsâ cathedrâ munus capesseret; & nuper admodum ille, quem ego, me saltem in Graecis literis exercitatum magis Praeceptorem, huic Academiae laetissimus fueram gratulaturus, Clarissimus WYTTENBACHIUS; ille Oratione habitâ *de Literarum Humaniorum studiis ad mores emendandos virtutisque cultum conferendis;* hic *vim & efficaciam Historiae ad studium virtutis*

ex intimis etiam Philosophiae penetralibus cultissimo sermone ita demonstrans, ut nihil cuipiam reliqui fecisse videatur?

Otio igitur & patientiâ vestrâ, AUDITORES, non abutar; &, quod restat, instituti memor breviter ostendam, ad cultum Virtutis Civilis bonas literas ibi maxime proficere, ubi libera est regiminis forma: Nam, ut multa alia, quae forte fortunâ accidisse videantur, & tamen sapienti Numinis consilio evenêre, sic in hoc Divinae Providentiae bonitatem maxime veneror, quod Veteres illi, quorum exemplaria versamus, seu Graeci seu Latini, e liberis fuerint civitatibus oriundi. Nimirum noluit Deus, Libertatem, quae omnibus virtutibus fomenta praebet, ex hoc terrarum orbe exsulare; atque idcirco ex omni aevo nullos ad posteritatem perennare jussit Scriptores, nisi qui utrâque illâ Linguâ fuerint usi, quae a liberis Populis fuit usurpata & exculta.

Igitur duplex inde enascitur dos: Primum quod, dum Graecos audimus & Romanos, quae utramque Rempublicam vel auxerint bona vel pessum dederint mala, si sapimus, ab illis ediscamus: Tum deinde quod ingenuos tales

spi-

ſpiritus literis illi conſignaverint, qui & hodie & in ultima ſaecula inſerviant tanquam igniculi ad amorem Libertatis alendum atque in generoſis animis conſervandum. De utroque bono videamus.

Ac primo quidem, ſi, ut par eſt, poteſtatis ad unum delatae impatientes ſimus Batavi, & merito haec nobis Virtutis Civilis ſit ſumma, omnes abs Libertate publicâ inſidias propulſare (ne de Graecis narrem) quod inſignius nobis eſt, quam Hiſtoria Romana, documentum, quando is populus, qui ne ſecures quidem, Regii imperii ſignum, ferre potuerat, quique Collatinum, quia Tarquinius dicebatur, urbe ejecerat, jam non Regem habebat, ſed Imperatorem, qui ea patrare animum induceret, quae ne Phalaris quidem aut illaudatus Buſiris cogitare fuiſſent auſi? —— *Rempublicam verbo retinemus; re ipſâ vero jam pridem amiſimus*, ſub Caeſaris Julii regno querebatur (7) CICERO: Quid ſi Tiberii, Caligulae, Neronis, Domitiani tempora attingere illi licuiſſet? —— Reſpublica tamen erat: Erant Conſules, erant Tribuni Plebis, erat Se-

(7) *In Fragm. Lib.* V. *de Republicâ.*

Senatus: —— Sed quis Senatus? Is, qui, cum Quaestor Imperatoris epistolam legisset, ne hiscere quidem contra aut turpissimis & intolerabilibus postulatis obsistere auderet; is Senatus, cui, peregrinis & braccatis oppleto, publica salus parum cordi erat, si sibi modo cuique esset bene. Regium nomen non sumebant Caesares; sed Tribuni Plebis erant, & sacro-sancti habebantur; Pontifices Maximi, & Religionibus praeerant; Censores, & quem vellent Senatu aut Tribu movebant; Consules vel Consulum domini, & summam rerum administrabant; Imperatores, & militum favorem captabant; honorum supremi dispensatores, &, nisi quis Labeo esset vel Thrasea, singulos sui studio devinciebant. —— Felix nostra Respublica, si a tali tantoque malo cauta sibi semper prospexerit aut in posterum sit prospectura!

Ista sunt, AUDITORES, potestatis ad unum in Republicâ delatae mala: Nec ferenda magis inmoderata Optimatium dominandi libido, quam ut quis Vatiniano, quod meretur, odio prosequatur, quid iterum magis proderit quam Graecam & Romanam Historiam diligenter lectitasse? Quid enim, ut uno exemplo defungar, quid atro-

cius,

cius, quid immanius cogitari potest, quam istud triginta, ut vocabantur, Tyrannorum in infelices Athenas imperium? Quod infame magis aut abominandum, quam Critiae caeterorumque nomen, qui hostibus Patriae suae, Lacedaemoniis, odioso inprimis Pausaniae, parere malebant, quam aequo jure cum civibus vivere? Quid contra praeclarius quam excelsa Thrasybuli virtus, qui, solus bellum his indicens & prudentiâ non minus quam fortitudine conficiens, cedentes adversarios violari vetuit, *cum cives civibus parcere aequum censeret?*

Vos porro, justi rerum aestimatores, candida pectora, qui omnem a populo oriri potestatem vere mecum sentitis, vos obtestor, an quispiam vestrûm aeterna Patrum cum Plebe Quiritium certamina, negata connubia, negatam honorum communionem, nexos ob aes alienum, crudeles Decemviros, mactatam a patre Virginiam, intolerandos Claudiae Gentis fastus, Syllanam Factionem, aut caetera tot tantaque Patriciatus illaudanda facinora meminerit, nec fateatur, pejorem etiam regio imperio paucorum in omnes esse dominatum?

Hanc itaque altâ voce & apertâ mente professus sententiam, placebo vobis, si qui hic adestis, Democraticae Regiminis formae Patroni: At num placebo etiam, si eâdem ingenuitate, quam equidem non nisi cum vitâ deponam, coram illustri hac concione, ipsâ veritatis conscientiâ animosus dixero, deterius nullum esse quam populare istud imperium, —— istud multitudinis imperium, inquam, sub quo nec sincerae virtuti potens invidia, nec fucatae malitiae inmerita unquam defuerunt praemia? —— Stupetis! & lividum me arbitramini virtutis vestrae obtrectatorem! — Sed, si bonâ fide agitis, ut vos agere lubens crediderim, Historiam, precor iterum, legatis Graecam & Latinam. Athenae mihi aderunt testes, aderit Roma. Spectabitis, ut CORNELII NEPOTIS (8) verbis utar, *populum acrem, suspicacem, mobilem, & potentiae ita adversarium aut invidum*, ut bene de Republicâ meruisse validissimum aliquando esset ad damnationem argumentum: Spectabitis civitate pulsos justissimum Aristidem, fortissimum Cimonem, prudentissimum Cononem, moderatissimum Timotheum; in vincula conjectum & miserrime in carcere per-

(8) *In vitâ Timothei* Cap. 3.

pereuntem illum ipſum Miltiadem, cujus virtuti non Attica ſola ſed tota Graecia libertatem ſuam debebat: Spectabitis capitis damnatum Phocionem, virum optimum, e cujus morientis ore vera haec vox fuit emiſſa: *Talem exitum pleroſque claros viros habuiſſe Athenis!* Spectabitis exadverſo Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum, Ephialten, homines ſeditioſos, amentes, audaces, criminoſos, turbulentos, improbos in Rempublicam, Plebi vero gratiſſimos, cujus quippe leviſſimam favoris auram turpiſſimâ aſſentatione odioſi iſti Demagogi aucupabantur. —— Spectabitis, ut paucis cuncta complectar, ſummam concionum temeritatem, populari invidiae cedentes cives clariſſimos, pendentem a peſſimi cujusque conſiliis civitatem, & publicam ſalutem iis creditam, quibus nemo ſanus rem privatam tradidiſſet adminiſtrandam.

In citandis e Graecia exemplis nimius forſan quum fuerim, de Gracchanis aut Marianis temporibus, de Legibus Agrariis, de Largitionibus, de Ludis, de Frumento plebi dividendo, nunc quidem ſilebo, neque dicam de ſacrâ iſtâ & ſanctâ poteſtate Tribunorum Plebis, qui, ut praeclare LIVIUS (9) ju-

(9) Lib. III. Cap. 21.

judicat, *fere semper a multitudine magis regebantur, quam regebant.* In multam noctem, si de singulis agerem, protraheretur sermo, AUDITORES HUMANISSIMI. Unum addam, & hanc orationis meae partem absolvam: Omnem omnium aevorum Historiam constantissimae hujus veritatis esse magistram, de qua, si non mihi, CICERONI meo saltem fidem habebitis, homini in Republicâ versatissimo, *illum* nempe, qui in rebus civilibus (10) *ex errore imperitae multitudinis pendet, in magnis viris non esse habendum.*

At vero interrogantem audire mihi videor, quae demum, quando neque unius, neque optimorum, neque universorum dominatus placeat, —— quae igitur, veteris Historiae documento, optima Reipublicae forma sit habenda? —— Perfectam etenim, opinor, in hac rerum humanarum conditione nemo sapiens sperabit. —— Optima Reip. forma (nisi magnitudo imperii eam regiae potestatis admistionem, quam desiderat Montesquievius, aliquando postulare videatur) —— optima Reip. constituendae forma ea est, quae prudenter ex Plebis atque Optimatium imperio ita sit temperata, ut neque Populus de summâ

Reip.

(10) *De Off.* Lib. I. Cap. 19.

Reip. unquam pronunciet vel in judiciis dominetur, neque Optimates, ab omni civium suorum arbitrio in creandis Magistratibus liberi, Civitatis se magis dominos quam rectores arbitrentur. Moderata ejusmodi si probetur in Regimine mistura, optatissima simul aderit aequalitas, non ista quae ex plurium voto omnibus idem, sed ea quae suum singulis tribuat, pro dignitate quemque honoret, ac malos cives, turbidarum praesertim rerum auctores & seditionis duces, poenis castiget meritissimis.

Sed quorsum vagor? —— In aliena prorsus me ipsius materiae cum utilitate tum dulcedine abduci sentio. Ut in viam redeam, breviter demonstrandum mihi erit, Eruditionem Virtuti Civili illa nutrimenta aut illos (ut ita dicam) igniculos subministrare, qui Libertatis amorem alant & generosa pectora ad quaevis praeclara stimulent & incendant.

Batavam hanc nostram Rempublicam, carissimam mihi Patriam, ad testimonium voco, atque ita voco, ut nullus alius Populus illustre magis hujus rei documentum praebere mihi videatur. —— Putatis, AUDITORES, futurum

 fuisse,

fuisse, ut Majoribus nostris, quum sese posteritatemque suam e dirissimâ servitute in libertatem vindicarent, tanta esset in summis periculis prudentia, tanta in malis constantia, tantus consiliorum vigor & animorum robur, nisi viridem aetatem suam, non ut hodie juventuti plerumque mos est, ludis & voluptati, sed severis legum & literarum studiis, consecrassent?

Ob oculos vobis ponite fortissimum Leidae meae Defensorem, Janum Dousam, & totam Dousarum Nordvicensium Gentem, quae si maxime in Te, VIR PERILLUSTRIS, desineret, doleremus omnes boni. —— Ob oculos vobis ponite Virum summo loco natum, auctoritate pollentem, maximis Reip. curis distractum, armis aeque & civili sapientiâ clarum, sed literis ita deditum, ut dubium sit, an Eruditio illi magis ad Virtutem Civilem colendam profuerit, an ipsa Virtus Civilis ad Eruditionem adpetendam. —— Contemplamini porro Virum illum, cujus gloria non nisi cum ipso Batavorum nomine interitura est, Hugonem Grotium! Contemplamini illustre par Fratrum, Wittios! —— Creditisne, AUDITORES, aut illi, iniquis obsequentissimorum Judicum suffragiis damnato,

nato,

nato, aut his pravo civium judicio oppressis & vaferrimâ arte ad necem irretitis, talem animi magnitudinem in adversis fuisse futuram, nisi ad excelsam indolem accessisset ingenium, Antiquitatis colore ita imbutum, ut in Louvensteiniano carcere & sub ipsis carnificinae cruciatibus inde peterent miseriarum ac doloris levamentum?

Sed quid opus est, AUDITORES, ad remotiora nos conferre tempora, ut quantum exacta veteris aevi cognitio faciat ad pernoscendum ingenium humanum, atque adeo ad comparandam prudentiam civilem, demonstremus? — Unum Virum vobis excitabo, cujus mortem, gravissimum huic Academiae & irreparabile damnum, nondum eluximus, LUDOVICUM CASPARUM VALCKENAERIUM. Erat ille quidem ab ipsa pueritiâ ejus tranquillitatis, quae in studiis est, ita amans & adpetens, ut a negotiis publicis sese quam longissime removeret atque ad literatum otium, quod cum dignitate conjunctum est, lubentissimus perfugeret: At illa tamen fuit in summo viro rerum civilium scientia, tam pulchre & principum mores & populi vitia ille noverat, ut non tantum de iis, quae jam facta essent, acutissime judicaret, verum etiam

quae

quae jam futura essent, non ex avium volatu, sed ex intimis Historiae penetralibus, callentissimus Augur praesagiret. Ut dictis fidem faciam, redite, quaeso, in memoriam excellentis illius Orationis, quam ex hac ipsa Cathedrâ habuit, *de publicis Atheniensium moribus, pro temporum diversitate, crescentis labentisque Reip. caussis:* Et, si Patriae vos tangat amor, legatis illam & iterum legatis. Quae nostram Rempublicam, ut quondam Athenas, nunc etiam exedant mala, quae causae nos civilibus discordiis agitatos, hinc fraudibus petitos, illinc paucorum ambitione vexatos, aut turbulentorum hominum artibus delusos, ad certissimam perniciem pronos praecipitent, in speculo Graecorum non sine horrore quodam intuebimini.

Quando VALCKENAERII mentionem injeci, exspectatis, HONORATISSIMI AUDITORES, me illud praestiturum, quod cum hujus diei solemnitas & ille, in quem adscendi, locus, tum necessitudo, quae mihi cum Viro Clarissimo fuit, vel ipsa potius pietas a me postulare videatur: Exspectatis ex ore meo debitas VALCKENAERIO laudes: Sed cupidissimum vires deficiunt; & dicturo verba intercipit dolor. Singularis enim ista mihi sors obtigit

git, ut, qui laetissimis auspiciis illucescere dies debuerit, ille recrudescentis luctus magnitudine ater pene mihi sit factus. —— Quis VALCKENAERIUS fuerit, quis ego sim, probe recordor. Hinc illa, quam pro humanitate vestrâ condonabitis, fracti animi imbecillitas, & extinctus, si quis mihi in dicendo fuit, vigor. Is etenim in suo studiorum genere fuit VALCKENAERIUS, ut, si a Bentlejo & Hemsterhusio discedas, qui cum illo hoc aevo comparari possit, vix unus aut alter inveniatur.

Sed quid ego, quam omnes per universum orbem agnoscunt Eruditi, eximiam illius doctrinam, quid ego indefessam Viri industriam, admirabile ingenium, exactissimum judicium, exercitatissimum acumen, suavissimam & potentissimam eloquentiam, incredibilem pene infinitâque rerum varietate instructissimam memoriam coram vobis commemorem, qui plerique VALCKENAERIUM praesentes novistis? Illud potius peragamus, quod vel invitis exprimeret maximae, quam Academia nostra fecit, jacturae acerbitas: Et fugientis Eruditionis antiquae, tum Leidae nostrae & Juventutis Batavae, tum meam quoque vicem doleamus.

gisque commeream omni operâ adnitar; neque cuiquam vestrûm ullo officiorum genere aut honesto obsequio deëssе constitutum est. Si in ornandâ Academiâ impari gressu vos sequar, at sequar tamen; & talem me praestabo, qui, ingenio & doctrinâ singulis vestrûm facile cedens, animi simplicitate, morum facilitate, ac Batavo candore nemini sim cessurus.

Vos autem nomine mihi compellandi estis, PESTELI Clarissime, & venerabilis senex, ALLAMANDE: Quos arctissima familiaritatis tenet copula, & a me vos hic conjungi sinatis. Laetus ejus temporis recordor, quo parentum meorum amici veterrimi discipulum me habebatis, vobis deditissimum. Idem is ego sim, jam novo vobiscum vinculo colligatus: Et, si quid candidam fidem professo creditis, sic statuatis, velim, benevolentiam, qua me olim prosecuti estis, nunc etiam, si qua in me est, pietate me mihi ultro esse conciliaturum.

Tui quoque solemni hoc die an obliviscerer, optime & integerrime VOORDA, tui, inquam, qui Virtutem Civilem collaudanti ante oculos maxime fuisti versatus?

Rara

Rara enim ac nullo pretio aestimanda Academiae nostrae est felicitas, ut illi Juvenes, qui ad Rempublicam sint accessuri, in te & in Clarissimo KEESSELIO perfectissima habeant illius Virtutis exemplaria, qui Patriam vestram sic diligatis, ut verum Jurisconsultum eundem esse virum bonum & civem utilissimum, ringente licet invidià, planissime comprobetis. Sed ad publica haec merita accedunt privata tua in me beneficia: Nam ab eo tempore, quo docentem te audiebam, illo favore me fuisti complexus, ut quem ego amicorum meorum te integritate, fide, auctoritate potiorem habeam, equidem noverim neminem. Si tali ergo animorum & voluntatis conjunctioni recens quaedam ex meo hoc munere se adjunget necessitudo, id etiam inter mea gaudia non ultimum erit computandum.

Quo te tandem nomine adpellem, quem ut Praeceptorem venerabundus suspicio, ut amicum studiosus colo, ut fautorem gratus observo, RUHNKENI, Vir Clarissime? Tu in me pene puero Graecarum Literarum, in quibus dux eras ante Hemsterhusium, vix satiandam sitim excitasti: Tu suscipiendae hujus provinciae jam mihi praecipuus fuisti auctor & suasor, quam ego, insperato oblatam,

ne capessere quidem ausus fuissem, nisi te monitore etiamnum uti licuisset, ac tu mihi in illis studiis, in quibus cum Valckenaerio facile principatum tenebas, praesens, quod adhiberem, oraculum adfuisses. Patere igitur, ut fidem tuam publice implorem, & publice vicissim spondeam, me nullo dolo nullâve culpâ commissurum, ut seu discipuli, seu amici, seu collegae tui te unquam poeniteat.

Ad vos denique, ORNATISSIMI ACADEMIAE CIVES, lectissima Juventutis corona, mea se vertit oratio. Maximam experti estis cladem, Valckenaerio parem Praeceptorem nunquam habituri. Quod in me erit, vestra damna resarciam, non exquisitae illius, quae in hoc Viro erat, doctrinae abundantiâ atque exemplorum ex intimâ Graecae Linguae notitiâ petitorum copiâ, sed diligentiâ, sed comitate & prolixâ in vos vestraque studia voluntate. Commilitonem me habebitis fidelem, gnavum, indefessum, & talem praecipue in comparandâ Eruditione hortatorem, cui haec votorum summa futura sit, ut vos non tantum reddat doctiores, sed & meliores, Cives Patriae amantiores, Majorum denique vestrorum simillimos.

D I X I.





